



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*QUO QUIDEM*BEATAE MARIAE VIRGINIS AEDES QVAE
VULGO «MARIA SANTISSIMA

ANNUNZIATA AL CARMINE» VOCATUR QVAEQUE IN ARCHIDIOECESI

EST CATANENSI AD BASILICAE MINORIS DIGNITATEM EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Quo quidem
maiore sacrae aedes vetustate ac operum artificiorumque splendore praestant, eo impensiore studio solent Romani
Pontifices peculiaribus illas sive honoribus sive privilegiis cumulare. Nos quoque hanc translaticiam persequimur
consuetudinem praesertim cum de templis agatur Beatae Mariae Virgini dicatis, ex animo quidem optantes ut eiusdem
laudes honoresque apud Dei plebem dilatentur. Cum igitur Venerabili Frater Dominicus Picchinenna, Archiepiscopus
Catanensis, suo ipsius nomine pariterque clerici ac populi consilium ostendens, petiisset ut ecclesia paroecialis sub titulo
vulgo «Maria Santissima Annunziata al Carmine», in urbe Catina sita, ad Basilicae Minoris gradum eveheretur, Nos
benigne ipsius postulationibus concedendum esse arbitrati sumus. Itaque comprobatis iis quae Congregatio pro Cultu
Divino hac de re statuit sententiis, factis olim a Nobis potestatibus, Beatae Mariae Virginis templum quod memoravimus
ut in numerum Basilicae Minoris referatur decernimus, iuribus nempe ac liturgicis privilegiis attributis quae ad aedes hoc
nomine honestatas pertinent. Diligenter praeterea quoque serventur quae sunt secundum decretum «De titulo Basilicae
Minoris», die VI mensis Iunii, anno MCMLXVIII, exaratum, servanda. Quibuslibet contrariis minime obstantibus. Ceterum
hoc ad ampliorem ordinem provehentes templum, magna ducimur spe fore ut pietas quoque excitetur vehementius erga
Virginem Mariam. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Novembris anno
MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri decimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright
1987 - Libreria Editrice Vaticana
